



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118030**

§. 43. Res Angliæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

gnum Germanorum Romanorumque Imperio accessisse videatur, si simul utrumque teneremus. Ne etiam Sacrae Sedis auctoritati, aut Successoribus nostris, quaecunque damnum inferatur.

## §. XLIII.

*Res Angliæ.*

Antequam Concilio daretur initium, *Matth. Par. an. 1215. p. 229.*  
 Regis Angliæ Mandatarii, scilicet Abbas Bellilocensis, duoque Equestris Ordinibus viri, Summi Pontificis conspectum subeuntes, Stephanum Langtonium, Archiepiscopum Cantuariensem, accusarunt, quod cum Baronibus Angliæ ad Regem de folio detrahendum conjurasset, & postquam mandata Papæ accepisset, rebelles Censuris Ecclesiæ ad officium compellere iussus, nullam Papalis præcepti habuisset rationem. Tumque ob contumaciam ab Episcopo Wintoniensi ceterisque Papæ Mandatariis suspensus, ita ut erat Censura ligatus, ad Concilium venire ausus fuisset. Archiepiscopo erubescenti nihil, quod responderet, superfuit; sed a Censura suspensionis absolvi petiit, cui Papa indignans: *Per S. Petrum! id facile non impetrabis, postquam insigni injuria non Regem Angliæ modo sed etiam Ecclesiam Romanam læsisti. Hac de re nobis cum Fratribus nostris deliberandum*

A a 5

est.

Sæcul. XIII. est. Ergo, Cardinalibus ad Concilium  
A.C. 1215. vocatis, sententiam suspensionis contra  
 Archiepiscopum Cantuariensem latam  
 confirmavit, eamque Episcopis, ipsius  
 Suffraganeis, denunciavit, addito præ-  
 cepto, ne ei, suspensione necdum subla-  
 ta, in quacunque re obedirent. Hac  
 Epistola die quarta Novembris data.

Canonici deinde Eboracenses ad Pa-  
 pam adduxerunt Simonem Langtonium,  
 Archiepiscopi Cantuariensis fratrem,  
 quem Archiepiscopum Ecclesiæ suæ e-  
 legerant. At Papa, quod petebant, de-  
 negavit, Electionem, contra suam volun-  
 tatem peractam, nullam declaravit, Si-  
 monem Episcopali fastigio indignum  
 prædicavit, atque Canonicos alium pro-  
 tinus eligere jussit. Ipsi postquam de-  
 liberassent, Gualterium de Grai Epi-  
 scopum Wigorniensem postularunt, vi-  
 rum, ut ajebant, singularis pudicitia;  
 nam Virginitatem servaverat. Quibus  
 Papa: *Per Sanctum Petrum! præclara  
 virtus est Virginitas. Quare virum  
 istum Archiepiscopum vobis damus.* Gual-  
 terius igitur, accepto Pallio, in Angliam  
 reversus est, postquam in Curia Roma-  
 na decies mille Sterlingorum libras, res  
 alienum, contraxisset. Ceterum Gual-  
 terius jam olim a Sede Lichfeldiensi ad  
 Wigorniensem translatus, Ecclesiæ  
 deinde

deinde Eboracensi annos prope quadraginta præfuit.

Sæcul. XIII.

A.C. 1215.

## §. XLIV.

*Pontificis Sermones.*

Concilium ergo Romæ in Ecclesia Patriarchali Lateranensi, alio nomine, Basilica Constantini, a die S. Martini, undecima Novembris, anno millesimo ducentesimo decimo quinto, usque ad Festum S. Andreæ diem ejusdem Mensis ultimam celebratum. Initium dedit Innocentius Pontifex, pronuncians Orationem, cui materiam delegit illa Scripturæ verba: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Tum explicans vocem *Pascha*, quæ Transitum significat, triplicis generis distinguit transitum, nempe corporeum de uno loco in alium, qualem esse dicit Crucigerorum profectio in Terram sanctam. Transitum spiritualement ab uno statu ad alium per Reformationem Ecclesiæ, & Transitum ad æternitatem, videlicet ex hac vita ad cœlestem gloriam. In hoc triplici transitu totum versatur sermonis argumentum; atque de primo disserens ait Pontifex: *En me! Fratres mei carissimi, totum me vestris relinquero consiliis, nulla in me mora est, si id vobis probatur, Reges, Principes, populos ipse adibo, experiar, an Fideles meo*